

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, in Italia est Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

*Cuncta mittantur ad* ARISTIDEM LEONORI *equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*  
ROMA — *Via Alessandrina, 87* — ROMA

## Subnotatio fieri potest:

<b>IN ITALIA</b>	<b>IN ANGLIA</b>	<b>IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAЕ SEPTENT.</b>	<b>IN CANADA ET NEWFOUNDLAND</b>
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.	Apud BURNS AND OATES LONDON W. - 28, Orchard Street.	Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND. NEW YORK, 143 w 95th St.	NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.
<b>IN BELGICA</b>	<b>IN GALLIA</b>	<b>IN HUNGARIA</b>	
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.	LUGDUNI Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue Victor Hugo, 5	LUTETIAE PARISIORUM LIBRAIRIE VIC ET AMAT CHARLES AMAT SUCC. Rue Cassette, 11.	INSULIS (LILLE) Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue de Metz, 41.
		C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE BUDAPEST, Palais du Théâtre National.	

## RERUM INDEX

DE VARIIS POPULORUM MIGRATIONIBUS .....	Eucalyptus.
DE PONTIFICIIS LITTERIS AD GALLIAE CLERUM MISSIS .....	X.
DE FOEMINARUM INSTITUTIONE .....	H. D. V. Pieralice.
ANTONIUS VAN DYCK .....	I. Antonelli.
RUBELLULA .....	F. X. Reuss.
EX AMERICIS .....	H. Doswald.
DE COETIBUS SEU SYNAXIBUS CHRISTIFIDELIUM IN COEMETERIIS (ex ineditis)	M. Armellini.
TELEPHONUS ABSQUE FILIS IN MARI .....	M. L.
CRUCIS TRIUMPHI .....	Hersilus.
PROCELLAE BALLISTARUM ICTIBUS PROFLIGATAE .....	A. Costaggini.
ANNALES .....	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS .....	Scriba.
AENIGMATA .....	A. Bartoli.

### In terlia operculi pagina:

PER ORBEM .....	Viator.
VARIA: Oculorum lumen acerrimum - Belluarum progenies evanescentes - Quanam hora homines maxime moriantur ... ..	Forfex.
Mira arbor - Iudaei prae Christianis longaevi - Ioci .....	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCIUM

M DCCC XCIX

## COMMENTARIUM "VOX URBIS", INDICES SINGULI

## XII num. ann. II.

Auspicia de Europae bellis vel pace - ROMANUS.  
De recenti morbo et restituta valetudine SS. D. N. Leonis PP. XIII - DR. IOS. LAPPONI.  
De optimis scriptorum graecorum et latinorum editionibus - F. RAMORINO.  
Catholicum athenaeum Insulense - D. TAMILIA.  
De curribus electrica virtute actis - L. M.  
Parens iustitia pacis - A. BASILI.  
Ex Batavia - MICR.  
Male feriantes Belgae operarii - A. VIEILLOT.  
De aedibus SS. martyrum Ioannis et Pauli in clivo Scauri - SENIOR.  
Aemilius Castelar - A. COSTAGGINI.  
Vita functi viri clariores - C.  
Frustula - FORFEX.  
Americani Concilii ritus - X.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Quaesitis responsio - H. D. V. PIERALICE.  
Librorum recensio - H. P.  
Aenigmata - C. MANCINI.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Athenaei praeses natu minimus - Ephemeridum scriptorum fata* - I. A. — *Domuspolis - Quid necesse sit spectantibus curationem leonum* - P. d. V.

## XIII num. ann. II.

In Ioannem Baptistam Grossum praepositum curiae Ioannianae Braidensium apud Subalpinos annum xxv sacri muneris agentem - I. B. GANDINUS.  
Ex Sinensium imperatoris recenti decreto quaedam cogitate inferuntur - EUCALYPTUS.  
De dramatis emendandis - I. ANTONELLI.  
Veteres athenaeorum mores - A. COSTAGGINI.  
In festum sancti Petri apostoli - F. X. REUSS.  
Ferreum iter Transiberianum - A. LUZZANI.  
De memoriis apostolorum Petri et Pauli in urbe Roma - H. MARUCCHI.  
De sericis textilibus arte confectis - LAELIUS.  
Petrus Parenzo - A. FUMI.  
De consistorio - H. D. V. PIERALICE.  
Numen ubi?... - A. BASILI.  
Carolus Nocella patriarchatus Antiocheni titulo decoratus - F. PELLEGRINI.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - I. F.  
Aenigmata - DIGAMMA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Singularis tessera - Deambulatio per aquas - Ferrumne ex paleis? - Londinenses in Britannia - Medici Lutetiae Parisiorum* - Ioci - P. d. V.

## XIV num. ann. II.

Ibidus Iulii MCXCIX - ROMANUS.  
Hierosolyma urbs capta (Ex opere G. Tyrii cui titulus: *Belli Sacri Historia*).

De populari ingeniarum artium ratione - I. ANTONELLI.  
Constantinus Christomanus eiusque opus, cui titulus *Tagebuchblätter*, I. Folge - C. DE PACIS.  
Ad Laurentium Perosium musicum clarissimum - A. ARTIOLI.  
De Nova Zelandia - H. A. STRONG.  
Arcendae ebrietatis ritus apud maiores - LAELIUS.  
De memoriis apostolorum Petri et Pauli in urbe Roma - H. MARUCCHI.  
Maximum inter animalia Brontosaurus - H. DE VECCHI-PIERALICE.  
Episcoporum Americae Latinae Concilium in Urbe congregatum.  
Vita functi viri clariores - C.  
Frustula - FORFEX.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Ludi veteres et recentiores - ALPHA.  
Aenigmata - M. FUSCUS.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Beneficia etiam ferae sentiunt* - SALPA QUI. — *Ioci* - P. d. V.

## XV num. ann. II.

De hagano conventu circa pacem - EUCALYPTUS.  
Mores iuvenum Germanorum studiis vacantium - A. COSTAGGINI.  
De telegrapho apud veteres Graecos - D. TAMILIA.  
In Vincula S. Petri Apostoli - F. X. REUSS.  
Europaeorum in Africa coloniae - LAELIUS.  
De Portiunculae templo apud Assisium - H. D. V. PIERALICE.  
Didacus de Silva y Velasquez - I. ANTONELLI.  
Ex Italia. Novocomensis de electride et sericis publica recognitio igne absumpta - A. L.  
Stela in Romano Foro effossa - ROMANUS.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - A. MORCHIO.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Cur Tertius dictus est Napoleon - Equi nullius - Iustitia claudicans?* - Ioci - P. d. V.

## XVI num. ann. II.

Indicto litterarum certamini additi dies - *Vox Urbis*.  
Ad Leonem XIII Pontificem Maximum - D. CARD. IACOBINI.  
De Belgicis perturbationibus - ROMANUS.  
De ludis discendi apud Romanos - I. IACHINO.  
Iosephi Parini notitia centesimo vertente anno ab eius obitu - D. TAMILIA.  
Ex Helvetia. De Sancti Mauriti Agaunensis monasterio - A. SORDET.  
Titiani Vecellii tabula Deiparam in Caelum Assumptam referens - X.  
Volaturusne homo? - H. D. V. PIERALICE.  
Nova urbs in Glaciali Oceano condita - A. COSTAGGINI.  
Vita functi viri clariores - C.

Operariorum conditio apud Danos - A. VIEILLOT.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - I. F. - H. P.  
Aenigmata - C. A. MELANDER.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Quid in russis vaporitrahis pro Deo - Quae amittantur facilius - Lepidum reperitum - Ioci* - P. d. V.

## XVII num. ann. II.

Transvaalana - ROMANUS.  
De inscriptione recens in Foro Romano reperta - Epistola ad *Vocis* scriptorem qui se « Romanum » appellat - F. RAMORINO.  
Ad hirundinem familiarem - F. X. REUSS.  
De terraemotu Urbis die XIX mensis Iulii MDCCCIC - SENIOR.  
De nova lingua quam « caeruleam » placuit appellari - MONTELUCCIUS.  
Alexander Volta - A. COSTAGGINI.  
Novocomum urbs - X.  
Guardiagrelis monumentum - H. D. V. PIERALICE.  
Florum microbi - R. SPINA.  
De telegrapho filii experte nova adinventum - L. M.  
Frustula - FORFEX.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - I. A. - H. P.  
Aenigma quadruplex - GRYPHUS.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Parvae ignivomae ballistae apud Germanos - In locustis conclamatum est - Phonurgica - Ioci* - P. d. V.  
Epistolarum commercium - A. SECRETIS.

## XVIII num. ann. II.

Dreyfusiana - VERAX.  
De coetibus sive synaxibus Christifidelium in coemeteriis (ex ineditis) - M. ARMELLINI.  
De libro Leonis Tolstoj « Quid est ars? » - H. SALVADORI.  
Metae futurae soboli propositae - I. ANTONELLI.  
Nova aëriae navigationis tentata ratio - H. D. V. PIERALICE.  
Pii VI Pontificis Maximi commemoratio - G. P.  
Heracliae urbis portus - A. COSTAGGINI.  
Horae subsivae. - In Antonium Canova sculptorem celeberrimum - D. PIANAR.-MORONI.  
Spes vitae comes - A. BASILI.  
Quatenus animalium vita - ALPHA.  
Remedia ad pestem praecavendam - R. SPINA.  
Vita functi viri clariores - C.  
Frustula - FORFEX.  
Annales - POPLICOLA.  
Librorum recensio - FR.  
Aenigmata - I. I. SULLIVAN.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Photographicae res - Ioci* - P. d. V.

ALTERIUS

gratio a  
aetatem nostra  
potius lex di  
Semina planta  
decursu, in d  
ipsae, pleraeq  
sistunt, verum  
caventes quasi  
fico Creatoris  
maneat. Huic  
ab aetate ult  
paterni domic  
humana natur  
explenda cupi  
frequentissime  
num per univ  
fundi poterat.  
primum; inse  
ex aliis regio  
cuius unda un  
tae, Latini, Ge  
puli non semel  
in alias transgr  
finis; imo stim  
sendi novas te  
ditati mortales

Hisce rever  
hic ardor in ur  
in modum inc  
Providentiae le  
babiles causae.  
tium numerus,  
rior conditio pr  
necessaria sibi  
quidem tum no  
lubido; at indig  
quos opifces co  
maior multitud

Quod rusti  
nostras deserat  
lentos discedat  
commodum ex  
mercedem inte  
mille periculor  
perie, vel morb  
ribus; quae on  
dinis ac const  
riunt. Docume  
Non equide  
lapsu maximu

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## DE VARIIS POPULORUM MIGRATIONIBUS

ALTERIUS regionis gentium in alteram migratio a vetustissimis temporibus usque ad aetatem nostram continenter est usitata. Naturae potius lex dicenda scilicet, quam consuetudo. Semina plantarum, ventorum afflatu aquarumque decursu, in dissitas plagas distribuuntur: aves ipsae, pleraeque belluae non in una regione consistunt, verum aliae alio arcano motu feruntur, caventes quasi ne ulla terrarum pars sine mirifico Creatoris operum spectaculo diu viduata maneat. Huic legi homines constanter obsequuti ab aetate ultima sunt ad nostra tempora: sive paterni domicilii angustiis, sive ea, qua fertur humana natura, novitatis felicitatisque non hic explenda cupidine, sedibus suis relictis, in alias frequentissime commigrarunt. Nec genus humanum per universum terrarum orbem aliter diffundi poterat. Huius transgressionis fons in Asia primum; insequentibus autem aetatibus, etiam ex aliis regionibus migratum, oceani instar, cuius unda undam urget longaeque propellit. Celtae, Latini, Germani, Tartari, Arabes alique populi non semel e regionibus, quas occupaverant, in alias transgressi; nec recentior aetas itinerum finis; imo stimulus additus videtur, ut huic visendi novas terras tamquam hereditariae cupiditati mortales obtemperent.

Hisce revera temporibus, nescio quo pacto, hic ardor in universis Europae populis mirum in modum increbuit. Cuius facti, praeter illam Providentiae legem, aliae afferri possunt probabiles causae. Equidem praecipua auctus gentium numerus, quibus in patria fit in dies durior conditio propter inopiam atque difficultatem necessaria sibi comparandi. Plerosque movet quidem tum novitatis studium, tum divitiarum lubido; at indigentium plurima migratio, inter quos opifices complures; agricolarum vero longe maior multitudo.

✽

Quod rusticorum mascula proles regiones nostras deserat atque ad alienos campos excolendos discedat, tum patriae, tum ipsis minus commodum existimamus. Dum enim operae mercedem inter novas gentes exostulant, in mille periculorum casus incidunt, vel caeli temperie, vel morbis, vel immanibus itinerum laboribus; quae omnia qui superarint, saepe fortitudinis ac constantiae praemium servitute reperiant. Documenta de his non semel legimus.

Non equidem inficiandum, fore ut temporis lapsu maximum accedat robur his nationibus,

in quas tanta agricolarum fit immigratio; verum quid fiet nobis, si agrorum cultura omnino careamus? Memini paucis ante annis, quum in Helvetia commorarer, conspicatum ex edito quodam loco latissimos campos sine ulla frumentaria cultura, causam quaesivisse a nonnullis illius populi principibus qui mecum una erant. « Campos non serimus », responderunt; « minoris enim frumentum ex America emitur; agricolae nostri quotannis patriam relinquunt, dissitasque terras, praesertim Brasiliam petunt, ubi caeli inclementia magnus ipsorum numerus conficitur ». « Ergo alienis opibus nutritur Helvetia? » « Nec solum Helvetia; sed Europae pars ingens ». « Quid si bellum, si pestilentia, si casus alius impediatur quominus frumentum comportetur? » Alius alium respicientes obmutuerunt, at fateri debebant fame ipsis esse pereundum.

✽

Saepe mente agitavi quaedam quae dicuntur *recentioris aevi principia* plerumque mera sophismata probari. His plane convenit effatum: « Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu ». Quaedam principia generatim accepta, et, quod peius est, in usum deducta, minime saepe respondent rectae, ut puto, profitentium voluntati. Hinc illud veterum philosophorum: « Distingue frequenter ». Sint iura quae vereamur, inquit, sit libertas in omnibus. Quid? Tum etiam quum per haec reipublicae exitium paratur? Quum incolumitati atque nationum prosperitati damnum affertur? Consule historiam, vitae magistram. Quanta pernicie stetit Italiae, quanta Hispaniae agricolarum emigratio! Altera enim, suo robore deserta, barbarorum incursiones propulsare non potuit, altera e summo fastigio decidit, nec pristinum in Europa splendorem recuperare valuit.

✽

Atqui Batavia, Gallia, aliaeque nationes, ingentes condidere colonias fausto quidem eventu; Anglia, praesertim cui frequentissima emigratio sane saluti fuit. Observandum tamen est, nos in populorum emigratione legem quamdam divinam deprehendere, qua genus humanum, ut diximus, diffunditur in universum orbem, imo fatemur emigrationem esse nationum praesidium ac tutelam, dum redundans alterius regionis gens in alteram immittitur; per eam nimirum securitati reipublicae prospicitur. Quemadmodum Vesevus et Aetna cum ignitos lapides ac flammam evomunt late adiacentes terras ruina eximunt, quae ipsis impenderet, nisi qui densior in terrae sinu agitur ignis patentem

erumpendi viam per horum montium cacumina haberet. Itaque emigrationem non improbamus; verum sit modus in rebus.

✽

Quum consideramus frugiferos Europae campos iacere incultos, atque agricolas remotas terras aut principes petiisse urbes egestate compulsos, ut aliam vivendi rationem exquirant; magna ex hac nova rerum conditione ventura mala censemus. Robur enim nationum in agricultura positum est; quas autem modo habemus confertissimae civitates extremum regnis minitantur exitium. Quare agricolarum emigratio coercenda; permittenda atque adjuvanda quae ex urbibus emitti possit. Europae salus in his potissimum nobis sita videtur: ut deserti iterum incolantur campi; densa vero agmina minuantur opificum aliorumque, qui maxime e campis in urbes convenerunt, easque tanto hominum numero auxerunt, ut iam potius regna quam urbes dici possint. Non aliter *socialismi* ac flagitiorum malis medebitur.

✽

Fiat igitur immigratio in campos, emigratio ex urbibus. Nimia commercii licentia coercenda, ut terrae cultoribus spes aliqua lucri arrideat. Utinam deinde renoventur illae *domus cultae*, quae post barbarorum vastationes in Italia, in Gallia, in Germania constitutae, ope praesertim sancti Benedicti familiae, agriculturam ad pristinum splendorem revocarunt! A religione tamen initium petendum. Non desunt tum virorum, tum mulierum religiosae societates ad id muneris aptae. Non desunt in urbibus innumeri adolescentuli, quorum honori et cultui optime consuleretur, si in excolendis agris aut in re rustica procuranda adhiberentur. Scriptum est: *nationes esse sanabiles*; quam primam monstramus via non spernenda videtur.

Opificum autem aliorumque, qui ad arborum opus minime sunt apti, emigrationem non vetandam, imo promovendam censeo. Sed quibusdam subiiciatur legibus, ut ipsa emigrantium utilitati, nationum decori vertat. Ludi litterarii doceant non tantum litteras, sed artes quoque adolescentes, doceant religionem, ut, quocumque novum domicilium quaerit, honestos non minus quam in agendo alacres ac idoneos se praestent.

✽

Summatim dixi; plura vero argumentum requirit, quae vetat huius commentarii necessaria brevitatis.

EUCALYPTUS.

## DE PONTIFICIIS LITTERIS AD GALLIAE CLERUM MISSIS

INTER graves animorum perturbationes, quae hinc et inde Galliam agitaverunt ex infausta Dreyfusiana quaestione ortas, nec semel nec bis audivisse contigit, multos iniustae, quam putabant, damnationis crimen Galliarum clero imputare, et catholicae Ecclesiae asseclas, presbyteros, episcopos, ipsosque principes quasi in rei odium coniuratos ac de confirmata iterum eius culpa laetantes, passim calumniari. Verum, ut quisque videt, quid cum Ecclesiae legibus vel disciplinis Dreyfusii culpa commune habeat non facile eminet, quamvis et plures, qui catholicorum nomine gaudent, vel pro reo vel contra etiam e clero pugnaverint.

Ad calumniam propulsandam nil ferme poterat splendidius hoc nimirum momento in lucem prodire, quam Pontificia ad Galliae clerum epistola, cuius iuvat proinde consilium et sensus paucis exponere.

Initium ducitur a peculiari studio quo Galliam Pontifex iure dilexit, quippe quam ex eius filiis apostolorum nostrae fidei agmina frequentissima divina Providentia delegerit. At praecipuo huiusmodi muneri gravissima respondent onera, quae, ut rite adimplerentur, encyclicae litterae iterum iterumque, annis 1884 et 1892, sunt iam a Pontifice missae. Sed quamvis iterata earum monita irrita non evaserint, ut ad nova et imminenti Christi praelia non evaserint, ut ad nova et imminenti Christi praelia novi presbyteri recte instruantur, hodiernae mittuntur, ex quibus callidae cuiusque menti satis elucet qui sacerdotalis muneris ingenuus spiritus sit.

Ad sacerdotii tirocinium explendum triplex in Gallia gradus est: primum scholae quas vocant presbyterales; deinde parva seminaria; tum denique maiora. Huius igitur tirocinii studia praecipue curanda sunt, ut sacerdotes quam optimos conscribere liceat.

Ac litteris primum alacris opera tribuatur, qua Petau, Thomassinus, Mabillonius, Bossuetius aliique notissimi totius Galliae viri, Ecclesiae decus, summopere claruere; at, prae omnibus, graecis litteris atque latinis, ne, uti hodie saepe Galliae synodi conquestae sunt, misere obsolescant; iis enim praecipue linguis potissima sacrarum disciplinarum opera veluti pretiosi Ecclesiae thesauri continentur.

Inde ad philosophiam et theologiam gressus est. In theologia unus auctor et magister habendus, sanctus Thomas, simulque aureus ille liber, iussu Tridentini Concilii editus, qui *Catechismus Romanus* dicitur. Circa Sacram Scripturam interpretandam atque evolendam, opportune in memoriam evocantur Apostolicae litterae, quibus initium *Providentissimus Deus*, datae anno 1893; simulque de *canonico iure* diligenter addiscendo peculiaris mentio fit.

De philosophia vero doctrinas illas imprimis repudiandas Pontifex memorat, quae, speciem eius quamdam praebentes falsam, et humanae doctrinae fundamenta quassantes, ad scepticorum dubia et ad impietatem deducunt. Addi denique vult studia physices una cum cognatis disciplinis.

In altera epistolae parte de agendo Pontifex loquitur, idque pertinet maxime ad iuniorum clerum, qui tanto studio inter pauperes et operarios versatur. In ea apprime memoratur prudentia, iustitia; prae omnibus tamen docetur morum integritate operam esse firmandam, et non nisi servato adamussim ecclesiasticae disciplinae rigore in obedientia exercendam. Cuius disciplinae ea est vis, ut caritatem inter omnes foveat simulque venerationem erga antistites et obedientiam apprime conciliet: quae omnia nullis aliis verbis efficacius concludenda Pontifici videntur, quam revocato Apostoli praecepto ad Titum: « In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile ».

Paternae huius sollicitudinis novum ac tantum documentum magno profecto gaudio Gallorum clerum excipiet, ac pari alacritate servandis eiusdem praeceptis dabit operam. Atque haec erit mendacis et calumniis responsio una omnium nobilissima.

X.

## DE FOEMINARUM INSTITUTIONE

MOREM gerens veteri illi graeco philosopho, qui foeminas « malum humano generi necessarium » nuncupavit, recentior philosophus eas esse dixit « dimidium humani generis ignavum, laboribus alius dimidii, virorum scilicet, nutritum atque luxurians, cui corruptionem et morbos, rixas, ignominias et mortem pro perpetuum collato beneficio rependit ».

Digna Catonis atrocitatis sententia, quam et genitricis, et avae, et uxoris, et sororis, et filiae protulit fortasse oblitus!

Atque ab hac longe abhorrentes, morem ceterum gerentes nemini, hoc unum historia teste tenemus, praestitisse reliquis gentes, quibus debito honori foeminae fuerint. Idque de Germanis ex Tacito, de Persis apud eos, qui de hisce memorias prodiderunt, de Romanis denique ex luculentissima eorum historia compertum est. Ac, ad Romanos quod attinet, tanti apud eos foemina fuit, ut Romulea lege viris praescriptum fuerit occurrenti foeminae dexteram cedere viam, prohibitumque insuper apparitoribus, lictoribus, spiculatoribus ne homini manus iniicerent, si una cum uxore gradiretur.

Atque romanas foeminas modo libertatem, modo salutem, optima semper, pro honore reddito, reipublicae rependisse fateor; quod ad ostendendum Sabinas, Lucretiam, Cloeliam, Virginiam, Veturiam, Fulviam memorare tantum nomine sufficit, reliquis legentium eruditioni commissis.

Verum nuperrimae sententiae indignans infamiam foemineum genus,

... genus irritabile verbis,

ratum se posse quod viri, studiis ac disciplinis optimis dedit operam, ut gentem, quam homines in servitute redegerant, et in contemptu habuerant, aemulam pertimescerent, et, qui olim aluerant, ab ipsa alerentur.

Nec mora. Acris ingenio mulier medicinae, mathesim, naturales omnes disciplinas aggressa est; quin etiam, prudentiam iuris occupans, magnum indolis et alacritatis praebet ubique specimen.

At illud foemina portentum est, cui et imperare et servire hominibus periculosum saepe, turpe semper, idemque ea est, quae aut humiliter servit, aut superbe dominatur.

Haec autem probe scientes prisci illi Quirites, qui regendi imperio populos tantopere calluerunt artes, cum Iuvenale sentiebant:

*Non habeat mulier, tecum quae iuncta recumbit,  
Dicendi genus; haud curtum sermone rotato  
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.*

Recentiorum experimentum sapientiam veterum comprobavit. Est enim in sapientia potentiae genus perpetuum, constans, irrecusabile, a quo denique sublici necesse est. Hinc foemina sapiens, et sapientia sua tumens non modo artes atque doctrinas, sed magistratus et honores viriles praeripere conata est, idque iure facere arbitratur et recte, ut, qui sprevere sociam, perferant imperantem.

Primum, exeunte superiore saeculo, et omnes civium ordines Gallia subvertente, Olympia de Gouges ius politicum pro foeminis postulavit, ut oratores populares ad leges in publicis coetibus ferendas etiam a mulieribus eligerentur, coetusque mulierum, et conventicula indixit. Illud publicae potentiae genus, quod *Conventionem* vocarunt, nono thermidori mensis die, coetus muliebres et conventicula rescidit, conatum repressit, reluctantes oppressit.

At ignes suppositi cineri doloso, post annum 1830,

iterum emicuerunt flammis; et, ad populum reversa iterum potestate anno 1870, quamplurima ex his, quibus inhiabant, mulieres assequutae sunt, et praeter votum ad eos eligendos, qui rempublicam et municipia administrarent, cetera tenuerunt. Gymnasia, scholae peculiariae, quas *Normales* appellant, concessa sunt. Nunc autem cum viris medicinam, mathesim, philosophiam, excellentiores litteras, iurisprudentiam communia habent; academiaram insignibus et laureis fruuntur; iamque octoginta millia mulierum inter eos qui doceant tum in gymnasiis, tum in lyceis, tum supremis in athenaeis, recensentur.

Quinimo externae adolescentulae Parisios migrant, ibique navata opera studiis, ad sua remigrant laurea donatae, publice ut illa exercent, quae dixerunt, sive foro usae, sive aegrotos curantes.

Foemineae societates in Gallia plures, atque florentes, ex quibus mox rogatio pro nonnullis in civilium legum tabulis, quibus, seu insertis, seu abrogatis, aequalitas iuris et personae adstruatur, nec viris minor coram lege sit mulier, quae eadem ac viro praestat, noscit, et potest. Iniqua capitis diminutio.

Britannia, iam a saeculo ferme integro, mulieribus suis multa concessit. Illic societas, quae a *primulis* nomen tulit, quadraginta millia sodalium numerat: triginta autem millia, quae dicitur *Societas liberalium foeminarum*. Quamvis nondum aliquid in re gerenda publica, quae tamen rem familiarem sui iuris habeant, votum ad municipia exercent, et iure tum eligendi, tum quo eligantur ad concilia generalia pagi, vel provinciae fruuntur. Ibi insuper sex habentur studiorum athenaea pro foeminis tantum constituta, et - veritati sit laus, sitque honor meritis - omnia in his non modo vigent, sed florent; nec adolescentulae est aditus nisi linguae latinam, graecam, ac tertiam nunc in usu, et mathesim callere, periculo facto, se probet. Medicae ex his pleraeque; ad magisterium reliquae.

Apud Moschos, quis credet?, mulieres ferme apicem potentiae contigerunt, postquam Alexander II, anno 1857, primum lyceum foeminis instituendis vocit. Nunc in Russorum imperio tercenta et quinquaginta numerantur lycea foeminis tantummodo addicta, decem et ultra millibus adulescentularum frequentia. Ex iis aditus ad medicinae studium, medicorum quippe summa apud russa oppida inopia. Nunc septingentae illic publice medicinam faciunt, et ex hisce centum et quinquaginta funguntur munere imperialis iuris, seu publicae praesint saluti inspicientes et animadvertentes, seu quid maius gerant in pagis. Petroburgi Societas foeminea mille, et insuper, socias exhibet, quibus Anna Chabanoff medica praestat. Notandum porro apud Russos multum foeminis indulgeri huiusmodi, tum quia aliquid est in hisce societatis quod caritatem olet, non ambitionem honorum, tum quia poenitet Moschos tot annis oppressisse mulieres gravi servitute, quamvis et suavissimas et immerentes.

Suevis gratiosiores dicam mulieres, et pluris habitas. Rege Oscar II, et erudito Ibsen Henrico faventibus, multa consequutae sunt foeminae, nec est causa qua vel Anglicis, vel Moschis invidiant; immo plus iis gaudent, tum quia plura in iure politico exercendo et in administrandis rebus publicis tenuerunt, tum quia, si familiari asse polleant, eligunt et ad religionis gerendas res pastores, et ad municipalia et provincialia Concilia oratores. Quid ultra? Quum votum peterent, quo et eligerent et elegibiles essent in curia populari reipublicae, vix undecim negantibus petitio reiecta est. Quid si rursus? Atqui ego reor miserimos mortalium illos undecim viros, quibus

necesse e  
querimon  
dolentium  
sanguine

Apud  
augendas

Quid  
Duplex i  
unum, cui  
atque in l  
cum alter  
in libro,

Sed fo

in iuvand

Satis esto

vitatibus

viris, ita

gentium

municipii

tuor in sc

Sexaginta

utuntur;

mille circ

Medicinar

causas tu

quinquagi

sbyterae,

quaginta.

Hac, v

Bono

Dicam

mala mixt

poeta. Lau

tim in med

nus pietati

maternus;

victim, et

quam inuti

et corrup

quam in cr

que lucra, r

circumscrip

colonom in

Ne quid nim

dum enim v

membra no

muliebri ing

Sit docta m

sciat, affore

quid calluer

materfamilia

Qua qu

non sine n

ingenio ac

maximum,

Quem cum

et humanis

de aequand

centibus re

cum, ego e

uxor, quam

argumentos

numeris p

tuor tantu

in Kinder,

est in puell

vestibus. Pr

Ita germ

qua materf

sibi propon

neceste est et quotidie interesse lamentationibus et querimoniis filiarum et uxorum inconcessa potestate dolentium, nec non acerbis vocibus notarum et consanguinearum transversa tuentium.

Apud Batavos foemineae Societates in mercedes augendas intendunt.

Quid autem apud Germanos sit, paucis exponam. Duplex illic foemineae Societatis genus. *Populare* unum, cui ad aliqua assequenda in electionibus publicis, atque in legibus ferendis novis omne opus: *Socialisticum* alterum, cuius vota et praecepta Bebel exposuit in libro, cui titulus: *Mulier vetus, hodierna, futura.*

Sed foederatae Americae septentrionalis civitates in iuvandis efferendisque foeminis longe praestant. Satis esto quod sequitur: apud quatuor ex iis civitatibus aequatae in honoribus omnibus mulieres viris, ita ut vel reipublicae praeesse possint, si eligentium vota sibi concilient; apud tres, tantum ad municipii iura concessum votum; apud vigintiquatuor in scholis ac de scholis vota sunt et mulieribus. Sexaginta adolescentularum millia scholis propriis utuntur; ter centum millia magisterio funguntur; mille circiter sublimiora, laureis decorae, docent. Medicinam exercent quatuor millia et sexcentae; causas tuentur, sive in civilibus, sive in poenalibus, quinquaginta ac ducentae; ministras religionis (presbyterae, inquam, foeminae) mille ducentae ac quinquaginta.

Hac, veluti ex tabula, patet « quid foemina possit ».

Bono num, vel malo potest humano?

Dicam quae sentio. Quavis humana in re « sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta malis », ut inquit poeta. Laudo foeminam ingenio praeditam, praesertim in medicina opportunam; est enim foeminae plenus pietatis et commiserationis animus, in aegrotos maternus; laudo foeminam sibi comparantem studio victum, et honorem, et labores eligentem, potius quam inutilem otio vitam, et otio ipso corruptam, et corruptentem; laudo foeminam in libros potius, quam in crepundia, et futilia vestium ornamentorumque lucra, redditus impendentem; at haec laudo eodem circumscripserim limite, quo laudo rusticam parcamque colonam in ligonem, falcem, aratrum incumbentem. Ne quid nimis in omnibus et in singulis; quemadmodum enim viriles labores omnes debiliora mulierum membra non sustinent, sic non disciplinas omnes muliebri ingenii infirmitas et indolis levitas patitur. Sit docta mulier, plurima noscat, at illud primum sciat, affore sibi tempus, quo non de doctrinis, nec quid calluerit, nec quid ignoraverit, sed quam bona materfamilias fuerit, conscientia iudice, requiratur.

Qua quidem in re mecum optime idem sentire, non sine magno gaudio, accepi virum augustum, ingenio acerrimum, indole suavissimum, prudentia maximum, Wilhelmum Germaniae imperatorem. Quem cum duae ex America matronae adissent, et humanissime haberent audientem pro iis, quae de aequandis mulierum iuribus loquebantur, ita dicentibus reddidisse scribunt: « In his, quae vos mecum, ego eadem reor, quae imperialis mihi carissima uxor, quam ego et prudentissimam expertus sum, et argumentosam, et sedulam, et omnibus decoram numeris praedicabo. Haec autem foeminis in quatuor tantummodo *K* incumbendum iudicat, nempe in *Kinder*, in *Küche*, in *Kirche* et in *Kleider*; quod est in *puellos*, in *coquinam*, in *religionis praxim*, in *vestibus*. Praeter haec, supervacanea omnia ».

Ita germanicus Caesar. Et o beata domus, in qua materfamilias nihil praeter ea quatuor *Kaππα* sibi proponat!

H. DE VECCHI PIERALICE.

ANTONIUS VAN DYCK

DE Didaco Velasquez, Iberi nominis gloria, cum simus suo tempore locuti, aequum ducimus gemini nunc nec minus ferme celebris aemuli memoriam revocare, tum ne quas latinis nostris gentibus laudes laeti tribuimus, ceteris denegare videamur, tum ne maxima quaeque liberalium artium monumenta silentio praetereamus.

Antuerpia, in Batavorum finibus, patriam tanti viri fuisse sese gloriatur, in qua, ut centenaria ab eius ortu dies digne recoleretur, insignium eius operum publica recensio est indicta. Optimum sane consilium: nulla enim summis magistris tam alta laus est, quam quae ex ipsorum operibus vivo perennique prodigio in aevum exsurgit.

Itaque Antonius Van Dyck - de eo namque sermonem esse lectores humanissimi divinarunt -

RUBELLULA (1)

UM lassa Tellus a ferendis frugibus Indulget hiberno sopori, stragulo (Quod explicavit Nix) operla candido, Avem videtis elegantem, rustici, Ad vestra saepe convolare limina. Huic ala fulva, quae nigrescit; albicat Sub ventre pluma; guttur et pectusculum Guttis rubent velut recentis sanguinis: Avi pusillae nomen est Rubellula.

Hos ergo, rustici, volucres hospites Non asperis unquam fugate vocibus; Nec grana farris, quae petunt, vel hordei Mutatae granis (proh dolorem!) plumbeis. Micas sinantur alites anquirere, Quae forte mensa decidunt; in horreo Quandoque ieiunis debiscat rimula.

Nilo relicto, Nazaram Iesus colebat floridam, Flos ipse divus, Lillium Qui dicitur convallium; Septennis ille, viribus Crescebat atque gratia, Dum ligna discit vilia Dolare, mundi Conditor.

Sub haec, Ioanne nuntio, Audit Maria, corripi Magnis Elisam febribus; Et hoc rogare languidam, Ne se moretur iunior Sobrina rursus visere.

Festina matronalibus Virgo parens obtemperat Votis; it una parvulus Iesus, Mariae nuspian Sciunctus a vestigiis.

Primum patebat planior Ager, decorus undique (Nam ver erat) virentibus Herbis, satisque mollibus Ac flore multo: scilicet Hac sol aprilis gloria Campos adornat fertiles.

At mox supinis vallibus Montana succedunt iuga,

Vos ergo, rustici, volucrum nobilem, Et vos piam, iuvenculi, Rubellulam Amate, fas ut omne iusque postulat.

At stemma vos idem (nec illud fabula Ludente traditum) perornat. Lanceam Recogitate militis, quae, Virgine

Vestris vicissim providere messibus Aves laborabunt, voratis impigre Bruchis, locustis ceterisque, triticum Vastare qui solent, malignis vermibus.

Et vos, ephabi, quos iuvat per devios Errare saltus, ver ut agros innovat: Siquando nidus sit palam rubellulae, Ah! incubantem ne parentem laedite; Nec ova contrectate, nec volatilem Arctate prolem crate sub salinea. Decet, vereri vos avila stemmata, Quae purpuratum pectus ornant alitis, Ex quo Creator et Redemptor omnium Vixit Puellus hoc in orbe parvulus.

Audite quis, in pervetusto codice, Narrata sit verbis origo stemmatis:

Opplata saxis asperis, Quae rara vix et tetrica Virgulta gignunt, spineis Plerumque ramis horrida. Nec fas ministris Angelis Erat, rubeta tristitia E calle Iesu vellere.

Heic spina mordet longior Euntis heu! calcaneum; Graduque facto, cernitur Talo sub imo condita. Quo laesus acri vulnere, Nec flere, nec subsistere Curat Puellus, victimam Qui se, vel hac aetatula, Pro soubibus devoverat.

At mater instinctu pio Dolere sensit Filium, Quem mox sedere commode In rupe iussit proxima. Scrutata vulnus, spineum Deprendit heu! aculeum; Sed tam profundum comperit, Ul ungue frustra cuspidem Conelur atram vellere.

Tum, dulce subridens Puer, « Chirurgus », ait, « haud procul Degit peritus, optima

Instructus idem forcipe... Heus! tu veni, Rubellula, Tuoque rostro spinulam Evelle nostram ». Prolinus Adest vocata, nobili Gavisa fungi munere.

Primum lapillis adfricat Rostrum, quod hac industria Vulsella fit tenacior. Tum carpit extremum caput Teli sepulti, et arrigens Exile collum, naviter Desudat, alis interim Passis, et ungue firmiter In rupe fixo. Sexies Nisu laborat irritio; At septimo tentamini Fortuna ridet: exsillit Crudele lignum; rivulus Erumpit una sanguinis, Rubere quo pectusculum Gutturque coepit alitis.

Tum voce Iesus et manu Actis medenti gratiis, « Serva », benigne subdidit, « Tibi tuisque posteris, Ad usque fines temporum, Decora, quis haec te dies Ornavit, ales, stemmata ».

Spectante, Christi mite pectus diffidit. Hinc unda fluxit, purpurata sanguine, Qua vos rigati, qua decori, regia Coepistis esse gens, Dei prosapia.

O digna semper christiano nomine Sit vita vestra! digna divo stemmate!

(1) Erithacus. — Imitatio carminis *Le rouge-gorge* rev. P. DELAPORTE, S. I.

Antuerpiae, nobilissima in urbe, die mensis Martii 22<sup>a</sup> anno 1599, ex Francisco atque Maria Caypers ortum duxit. Quem vero ipsa natura uberrimis iam ingenii donis ad pictoriam artem instruxerat, placuit fortunae non minus benigne iuvare; ipsa enim materna manu, quacum nullum comparandum est magisterium, nullaque senectute delendum, prima pingendi artificia edoctus est puer. At cum praecurrenti eius alacritati omniaque celerrime addiscenti matris peritia impar brevi evasisset, Adamum Van Noost, Rubens olim in studiorum curriculo socium, primum habuit magistrum, ac paulo post, cum tertium vix lustrum attigisset, ipsius Rubens, Batavorum artificum principis, scholam ingressus est. Insolitum discipuli ingenium magistro statim innotuit, placuitque ita, ut non tantum existimationem erga illum conciperet longe praecipuam, sed veraci amicitia, numquam in reliqua vita remissa, iuveni prompte coniungeretur, ipso remoto invidio aemulationis studio, quod profecto inter cuiusvis temporis artifices rarissimum fuit.

Tunc itaque parvas primum tabulas, quas aere deinde caelari oportebat, Antonio delineandas Rubens mandavit; at simul coloribus et penicillo haud impari laude manus admove eum vidit, quibus factum est, ut, ne exacto quidem ab eo vigesimo aetatis anno, inter Antuerpienses liberos magistros (*franc-maitres*), qui tunc dicebantur, adscitus fuerit; qui ferme honos nemini antea tam immiti iuventa contigerat.

Nec immerito; nam Arundel quidam, angulus comes, qui tunc temporis Londini inter artium liberalium patronos recensebatur, ex procuratore quodam suo Antuerpiae degente, hos in epistola nuncios accipiebat: « Van Dyck una cum Rubens commoratur, eiusque tabulae eiusdem iam pretii ac magistri opera haberi incipiunt ». Non defuerunt itaque ex Anglia litterae, ut Antonio migrandi consilium suaderent, quod licet ille initio respuerit, tandem anglici legati Dudley Carleton precibus victus, invitantibus morem gessit. At primi illius itineris brevis mora fuit, et cum cito reversus esset, carissimo suadente magistro, peregrinationem, celeberrimis cuiusque aetatis pictoribus quodammodo sacram, inire statuit. Oblata itaque ipsi Rubens, amicitiae pignore, uxoris eius effigie, acceptoque vicissim equo ex magistri stabulis nobilissimo, Italiam versus profectus est.

Nostras tunc urbes peragrans, in duobus praecipue, quas tum Velasquez, tum ceteri assueverant pictores invisere, commoratus est, Venetiis et Romae; sed Ianuae etiam non modicum transegit tempus. Ex venetiis igitur tabulis, praecipue ex Titiani Vecellii operum studio, insignis eius pingendarum imaginum calliditas exulta est, ut valeret inde non tantum perfectam effigiem delineare, sed et ingenia, et animi motus ex effectis vultibus et oculis summa colorum virtute referre.

Haec namque fuit potissima eius peritia, quam pleraeque sane tabulae passim per Europam testantur; in iisque immo edendis prodigiis italica itinera absumpta fuisse patet. Effigies enim ab eo perfectae Ianuae quinquaginta adnumerantur, quae et in *Aedibus rubris* et in gentiliis patritiorum pinacothecis huc illuc admirantibus prostant. Romae vero Columensis vel Barberinae gentis mandato plerumque adlaboravit: sed nec lectissimus corporis habitus,



Antonii Van Dyck effigies, quam ipse pinxit.

(Photographice expresserunt Fr. Alinari Florentiae).

nec urbanitas eius compta quam maxime, summo artificio profuit, ut ab aemulorum offensionibus esset incolumis. Hae namque Romae, prout erat tunc temporis artificum frequentia maxima, vehementes adeo in illum excitatae sunt, ut abire tandem coactus, Ianuam iterum petierit, ex qua deinde conscensa navi Siciliam insulam tenuit et longam Pannormi moram duxit. Ceterum Augustam Taurinorum, Mediolanum, Brixiam, Florentiam, pulcherrimas Italiae urbes, illum adisse certum est suisque tabulis singulas illustrasse; quibus hactenus cives ii non sine iure gloriantur.

Anno 1626, patriam tandem revisit, ex eoque tempore inter familiares et consanguineos sexennio moratus absque intermissione est; quod quidem tempus iconibus praecipue centum, quas nunc eius Iconographiam vocant, summa peritia caelatis reddidit memorandum. Quapropter, aucta in dies magis nominis fama novas ex Anglia invitationes novaque illicia Antonio comparavit, cui sane regalis aulae iuveniles memoriae patriam iterum linquendam suaserunt, anno 1632.

Quanta igitur Caroli regis laetitia quaeque in advenientem Antonium facilitates humanissimae fuerint non facile dixeris: domum dedit, victus, ceterosque sumptus regio scrinio imputavit; sed, quod maximum est, artificem regia amicitia cumulavit libentissime, ita ut fere quotidie diuturna cum illo colloquia traheret: immo, paucis post eius adventum diebus equestri ordine auxit. Antonius vicissim regis effigiem octo et triginta tabulis varie expressit, quas inter pulcherrima in Dresdensi museo regem regalemque uxorem magna venustate exhibet.

Neque vero rex tantum, sed omnes fere regalis aulae illustres tunc viri ac mulieres pictoris virtute quatuor iam saeculis in nostris oculis versantur, miranda artis virtute facti immortales, ipsique tantum Angli quinquaginta supra trecentum Antonii tabulas inexhausta foecunditate productas asservant.

Sed, ut erat suavis atque lenissimae indolis, in mulierum reddenda pulcritudine maxime excelluit, meritoque tum *Lady Venetiae*, Kenelm Digby uxoris, tum *Lady Stanope* effigies inter eius pulcherrimas recensentur. At Venetiae illius pulcritudinem vel mortuae aeternam reddere voluit, mulierem pallentem effingens et dulci veluti quiescentem somno, cuius ad latus languida et arescens rosa fragilis eiusdem vitae symbolum esset.

Tunc tandem Mariam Ruthven uxorem duxit, ex qua unam filiam suscepit; at eximii artificis vita nimio labore confecta, in auspiciis nuptiis quiescere diu non potuit; itaque anno 1641, aetatis eius quadagesimo tertio, immatura morte absumpta est. Ossa eius in sepulcro maximo honore luctuque composita, incendium, ut notum est, combussit: at innumera foecundissimi ingenii monumenta nullae fortunae vel temporis vires delere poterunt.

Constat profecto Antonium, Rubens, magistri Batavorum summi, fervidum mentis ignem non aequasse, ita ut ex eius tabulis, quae ex historia vel sacra vel civili, aut ex religione aut ex paganorum fabulis expressa sunt, secundo loco plerumque habeantur; sed potissima eius virtus innata quaedam gratia vel elegantia fuit et urbana insolita venustas, quam assequi deinde contigit paucissimis. Eius

tabulae in seriem a Smit redacta quadraginta quatuor supra octoginta enumerantur; in altera vero, quam Guiffrey proposuit, mille et quingentae.

Horum itaque potissima maximeque insignia undique ex Europa in Antuerpiense museum iam confluerunt, in cuius ferme aedibus illam Caroli I regis Anglorum aulam, quatuor post saeculis artis prodigio ad vitam revocatam, attoniti posterum oculi demirantur, atque pictoris celeberrimi centenariam natalem memoriam, innovatis laudibus, sacram faciunt.

I. ANTONELLI.

## EX AMERICIS

INGENTI vere affecti sumus gaudio, cum opiparum vestrum et iucundum accepissemus commentarium. Ubi enim terrarum est, qui artis doctrinaeque amator talem flocci faciat ephemeridem, quae praecleara et utilia tam laute politeque prodat atque explicet, ut omnibus voluptati sit et delectamento? (1)

Quo ex commentario quum late comperissem quam libenter missas ad vos epistolas exciperetis, non potui, quin aliquid ad vos scriberem.

Mirabilem Neo-Eboracensium aedificiorum altitudinem admirati estis (2). Praeclara illa quidem et magnifica opera. Quippe singulare Americanis machinandi ingenium; qui egregias et omnium usui aptissimas construunt machinas; acuti nova perscrutantur inventa et ex novis nova conficiunt sollertes; artificiosa si quae sunt, ab illis mirum in modum celerrime parantur. Quis mihi ergo obstat, quominus asseverem, Americanos hac machinandi arte pluribus nationibus antecellere?

At praeter eximia artium opera, non desunt in magna hac et amabili terra stupenda naturae mira-

(1) Iucundissimum sane nobis, quod sociis *Vox Urbis* commentarius probetur: hoc enim nostrum opus, hic labor praecipuus. *V. U.* (2) Cf. ann. II, num. V et XII.

cula, inter quae emicant. Quatuor, ut percipiant, utrum cor, praesens et ver-

Sed ab initio foederatas civit ampli sunt lacu qui non tantum fluminibus con S. Laurentii flu vigantibus. Ex celeberrimum i deinde [in prop

Hoc flumen pri quo propius ad o pergit. In medio cataractis iam ex tur, ut minus f videatur; et mo in altum se tolli deicit cursum; c aguntur undae et que editur frem amoenissimis insu divisum, omne in rapit aut rapidis hiantem iam iam bus locis disiuu tem decidit bara ictu denuo perc mebunda spuma vi in spumeam p numeratae inde g aqusam forman

cula, inter quae celeberrimae Niagarenses cataractae emicant. Quarum tanta est magnitudo isque adpectus, ut percussi viatores oculos fricent, quasi quaerant, utrum cogitatione menteque depictum an reapse praesens et verum videant spectaculum.

Sed ab initio est ordiendum. Prope fines enim, qui foederatas civitates a Canada dividunt, ingentes et ampli sunt lacus magnitudine et amoenitate inclyti, qui non tantum inter se variis amoenissimis fretis et fluminibus coniunguntur, sed etiam aditum illustri S. Laurentii fluvio patefactum praebent Oceani navigantibus. Ex eo autem, qui Erie appellatur, lacu celeberrimum illud Niagarensis oritur flumen quod deinde [in propinquum Ontariensem influit lacum.

cedant, pulcherrimi et venustissimi exhibentur colores eximiusque Iridis splendor; quinimo, quum luna idem efficiat, pluvius arcus, mirabile dictu, et noctu enitet conspicuus. Attamen nebula illa spectatoribus nonnunquam evadit inclemens; namque ortus ventus inimicus aquosam nebulam ocius dispergit, quam ut miratores sibi providere possint; vae illi autem, qui in dispersam infaustus incidit; inopinato enim et iniucundo imbre obrutus, udus tantum effugit.

Superiores hactenus admirandas adspexistis cataractas; nunc in ipsum descendite abyssum, ad quem machina quaedam, quae modo ascendit, modo descendit, iucundo vobis commodo est. Paenula ergo aquae

ob raucam cursus flexionem, ingentes denuo gignuntur gurgites.

Tanta naturae portenta iam ab ipsis Indis Niagara, id est aquarum tonitrus vocata, innumeros fere ex toto terrarum orbe alliciunt viatores, qui rei visendae studio, longinqua suscipiunt itinera. Utraque ergo ripa lautissime bellissimeque instructa; utrinque enim luculenta et amoena viridaria umbrosis arboribus et variis fruticetis et iucundis ad sedendum scamnis atque pulcherrimis semitis flexuosis ornata arrident viatoribus; splendidae rhedae, carpenta, aliaque vehicula huc illuc currere et spectandi cupidos ad loca aspectui aptissima vehere; currus electrici rapti spectatoribus referti iuxta praecisum abyssum



Niagarensium cataractarum prospectus.

Hoc flumen primo non ita velociter movetur; at quo propius ad ostium adventat, eo celerius ocusque pergit. In medio enim fere cursu aqua, variis parvulis cataractis iam excitata, tantam pernecitatem adipiscitur, ut minus fluere, quam immani impetu ferri videatur; et modo furibunda ex abditis aggeribus in altum se tollit, modo spumosa se in pristinum deicit cursum; quam ob causam et effrenae circumaguntur undae et ingentes saeviunt gurgites, sonorusque editur fremitus. At turbulentissimum flumen, amoenissimis insulis interiacentibus iam in duas partes divisum, omne impedimentum aut rabiosa vi secum rapit aut rapidis gurgitibus superat, citissimeque ad hiantem iam iam adventat abyssum; repente vero, duobus locis disiunctis, horrendo fremore in dehiscentem decidit barathrum. Undae terribili hoc et rauco ictu denuo percitae, intensiore rabie revolutae, fremebunda spuma in altum tolluntur, iterumque atroci vi in spumeam praecipites deiiciuntur voraginem. Innumerae inde guttae, late sese spargentes, levem et aquosam formant nebulam, in qua, si radii solis ac-

immeabili induti, ne perfundamini, forti animo vos in machinam illam dimittite, et iam nunc inferiores egregium hoc naturae portentum admiramini. Probus vir se vobis praebet ducem, quocum cataractam ipsam, caute quidem, super saxis et lapidibus adeatis, cuniculumque intretis. Inde egressis sub ipsa cataracta, optimus iam vobis exhibetur aspectus, quo facile excitentur piorum mentes ad omnipotentiae divinae contemplationem.

Quo autem mirificarum cataractarum imaginem multo melius animo fingere possitis, has notabo. Tumidum illud flumen ante abruptum abyssum, insula interiacente, quattuor millia pedum et septingentos quinquaginta latum est, atque circa viginti pedes profundum; ipsius abyssi altitudo centum quinquaginta pedes fere superat. Praecipuae duae efficiuntur cataractae, quarum una in foederatae reipublicae agro, altera maior amoeniorque, ad instar ferreae equorum soleae formata, a Canadensi parte sita est. Post barathrum vero fluvius profluit angustus duobus praecipitibus lateribus utrinque superantibus; paulo post,

sursum deorsumque se movere, omnia, quae advenis voluptati sint ac delectamento, satis provisae. Ad hoc utrinque exstructa oppida ipsam loci amoenitatem augent; neque desunt aedificia catholicae religioni dedicata; iuxta barathrum enim in quodam colle, quem Carmeli montem nominant, magnificum Laurentanarum sororum aedificium exstructum, et non longe ab hoc parvulum quidem, sed elegans Carmelitarum positum est domicilium. Iamque religiosi illi viri seduli, piorum donis adiuti, ingens et splendidum, quod hospitem vocant, exstruunt aedificium, in quo pia habeantur exercitationes, et sacerdotes aetate maturi suscipiuntur; itaque magnum illud opus huic regioni erit inaestimabili utilitati. Et vos, quum hunc admirandum locum spectaturi advenieritis, religiosi illi benigne suscipiant, et itinere fatigatos recreabunt cupidosque spectandi ad amoenissima quaeque loca libenter perducent.

Valcte.

Neo-Baltimore.

H. DOSWALD.

DE COETIBUS SEU SYNAXIBUS  
CHRISTIFIDELIUM IN COEMETERIIS

(Cfr. num. super.).

III.

Illud itaque certum est, fideles vexatos, prae omnibus, in tenebris, in receptaculis, in arcanis coetibus securitatem quaesivisse: de quibus vetustissima testimonia, et de nocturnis synaxibus fidelium, perspecta satis et frequentia habentur maxime ex locis Tertulliani in libris *De corona*, *De fuga in persecutione* et *Ad uxorem*. Inde a gentilibus infames Christi fideles fieri propter absconditos illos coetus, et nota illa « latebrosae et lucifugae nationis », qua paganus Caecilius Christianos afficit in libro *Oclavius* Minucii Felicis.

Acta quoque martyrum saepe de hisce conventibus arcanis fidelium in coemeteriis tractant; sic Acta illorum martyrum, qui Graeci nuncupantur, mentionem faciunt de « arenario in quo Christiani conveniebant » iuxta coemeterium Callisti, Valeriani persecutione saeviente. In Actis autem martyrum Petri et Marcellini, qui Diocletiano imperatore passi sunt, fideles divina mysteria celebrasse sub terra accepimus, in crypta quae *luminari* gaudebat, ut frequentissime videmus; et in Actis sancti Stephani papae legimus: « In cryptis martyrum assidue missas et concilia celebrabat » (1). Pariter sanctus Gregorius Turonensis, gesta sancti Gaiani antecessoris sui enarrans, ait: « per cryptas et latibula cum paucis Christianis mysteria solemnitate diei dominici claviculo celebrabat ».

Quod si ex hisce testimoniis luculentissime probatur in coemeteriis fideles etiam divina celebrasse mysteria, hoc ipsum maxime confirmatur ex diligenti locorum examine et consideratione. Sunt enim non pauca cubicula et cryptae, quae ex forma et ex accessionibus manifeste demonstrant, tantum ad celebrationem mysteriorum fuisse effossa. Iamque a saeculo XVII Antonius Bosius in quodam cubiculo coemeterii Cyriacensis, in via Tiburtina, altare cathedrae episcopalem invenit (2); atque Boldettus vidit et delineavit in suo opere cathedram cubiculi cuiusdam in coemeterio ad Duas Lauros, ubi altare insulatum inter quatuor columnas erigebatur (3). Quid plura? In coemeterio enim Ostiano adhuc pene intactae exstant cryptae huiusmodi nonnullae, quae potius basiliculae dicendae sunt.

Earum praecipua, quae propter perfectionem formae unica dicenda est, tribus coalescit partibus. Constat enim primum ex parvo cubiculo laterali, quod vestibulum fuit, atrio poenitentium et catecumenorum in basilicis sub dio comparandum; secundum, ex aula seu navi maiori, cuius in parietibus sunt tophaceae orae, seu mensulae ad lucernas et candelabra sustinenda, et duo loculamenta, quae italice *nicchie* nuncupantur. Haec navis ambulacro intersectatur, quod eam in duas partes dividit, alteram virorum, alteram mulierum, iuxta vetustam disciplinam; tertium, tandem, in extremitate maioris aulae est presbyterium quadrilaterum cum cathedra episcopali parieti apposita ad populum conversa, iuxta quam ex duobus lateribus est sedile, seu scamnum presbyteris accommodatum, uti in *bema* basilicarum.

Intra presbyterium erat altare portatile, in insula positum iuxta antiquarum coerimontiarum praescriptiones, et disciplinae ecclesiasticae usum (4).

(1) Mart. Adonis, Aug. 2. (2) *L'altare e la sedia pontificia intagliata nello stesso tufo*, in *Roma sotterranea*, p. 410. (3) P. 15. (4) De hisce altaribus Emus vir Dominicus Bartolini et Io. Bapta De Rossi optime disseruerunt. Cfr. *Sulle catacombe di Chiusi nella contrada che appellano di S. Caterina*, Roma, 1881; et *Roma sott.*, p. 297.

IV.

Christiani ergo saevientibus persecutionibus sese in coemeteriis congregari consueverunt ad synaxes celebrandas. Sed opportune quidem quaeret quispiam: Quae istae synaxes fuerunt? Omne sacrorum conventuum genus ibi habebatur, an tantum quod funebre esset?

In coemeteriis, uti scimus, habitae ferme fuerunt synaxes funebres, ac tantum extra ordinem quae non funebri caractere gaudent, ut ad sacra initiationes, quae potius in *titulis* fiebant.

Synaxes ergo coemeteriales, si licet ita eas vocare, duplicis generis erant: alterae enim fiebant ad natales martyrum celebrandos, alterae ad exsequias fidelium constitutae. In opere quod *De constitutionibus apostolicis* dicitur, coetus Christianorum in coemeteriis expresse commendantur et praescribuntur. Quod si illas constitutiones maxime valere constat ad ritus docendos et mores potius orientalium quam occidentalium ecclesiarum circa finem saeculi tertii (1), tamen, quod ad usum *liturgicum* coemeteriorum attinet, nullum discrimen intercedere habendum est inter utrasque ecclesias.

En verba earumdem constitutionum: « Congregamini in coemeteriis, ibique lectionem sacrorum librorum facite, et psallite super dormientibus martyribus et omnibus sanctis qui abierunt a saeculo, et fratribus vestris qui in Domino dormierunt. Et antitypum regalis corporis Christi, ratam acceptamque Eucharistiam, offerite in ecclesiis et coemeteriis vestris. Atque in exitu eorum, qui obdormierunt, psalmorum cantu eos prosequimini, si fideles fuerint in Domino ».

Quibus verbis preces distinguuntur et oblatio pro martyribus ab oblatione illa quae pro fidelibus tantum fit; idque modo optime insigni illo documento vetustioris codicis *liturgici* latini, a viro clarissimo I. Mone detecti (2), declaratur. In illo enim codice missae saeculi tertii continentur, quum adhuc saeviret persecutio, ad quam certe verba spectant quae sequuntur: « Deus, praesta, si quis adridat, te colere: si temptatio ingruat, non negare »; quae oratio *ante nomina* fiebat, scilicet ante recitationem distichorum, nomina martyrum, confessorum ac fidelium defunctorum commemorantium, pro quibus sacrificium offerebatur.

Nominibus autem recitatis, *post nomina* sacerdos hac pulcherrima oratione ritum absolbat: « Sanctorum tuorum nos gloriosa merita, ne in poenam veniamus, excusent; defunctorum fidelium animae quae beatitudinem (*sic*) gaudent nobis opitulenter; quae consolatione indigent, Ecclesiae precibus absolvantur ».

Quae postrema verba, ut patet, pretiosa sunt; in iisdem enim dogmatica designatio purgatorii continetur.

(Ad proximum numerum).

Ex ineditis MARIANI ARMELLINI.

TELEPHONUS ABSQUE FILIS IN MARI

SEMEL prolata causa, qua, nullo ducente filo, electricle signorum notarumque nuncia longius mitterentur, mora non fuit apud sapientes, quin et idem de sonis vocibusque accipiendis, etsi longo dissitis intervallo, cogitaretur. Docti enim in physicis viri, postquam de electricle esse hoc aetheris genus ubique diffusum, continuum, perpetuumque

(1) *Const. apost.* VI, 17 (in *Spic.* ed. Pitra). (2) Cf. *Lat. teinische und griechische Messen*, p. 22.

compererunt, optime arbitrati sunt in quamvis distantiam electricle posse fluctus motusque propagari, si debita vi et potentia cicerentur. Hoc oscillatorum est fundamentum, hoc et officium. At eadem argumentatio redibat, si de sonis in aqua excitatis quaestio institueretur. Quemadmodum enim in crassiori medio, scilicet in aere diffusa, habetur longe subtilior electricle, quaeque aëria pervadens, ita in aqua habetur aer ipsa aqua subtilior omnem totamque massam aquarum penetrans ac pervadens. Adhibitis igitur idoneis mediis ad percipiendos rite sonitus, qui sub aquis eduntur, facillime hi tales ab auditore erunt collecti, quamvis a longe, quales in resono centro exprompti. Accedebat experimentum satis commune iis qui vel natandi, vel balnearum gratia maritimas frequentant aquas; hi namque, penitus demersi atque obruti aquis, clarissime percipiunt sonitus rotarum, siquae pyroscapha etsi remota naviget; et, mirabile dictu, dum submersi in aquis audiunt, assurguntibus ad aequum pelagi penitus nihil est in prospectu, nihil visu, nihil auditu percipitur. Hinc inferiori navis trahi quaedam capsula addita est, multis foraminibus admittens aquas undequaque, ut undequaque sonitus pariter admittat. Ex unoquolibet foramine metallicum filum electricle convium, atque ita dispositum est, ut omnia fila congregentur in capsula superiore, ad instar telephonicis apparatus, quae, loco idoneo gubernatori temonis ac duci, duobus lanceolis, sive sagittis mobilibus, aperte manifestent si navis adveniens laeva aut dextera sit, et qua celeritate feratur; celeritas autem ostenditur quodam tintinnabulo electricis malleolis verberato plus minusve, segnius aut citius per gradus cognitos; quibus praebetur non modo longinquitas, sed etiam ille dimetiendi spatia modus, qui apud marinos dicitur *nolus*. Certum nunc experimentis est, navem nullam intra septem chilometrorum spatium posse ignotam transire; huius autem non modo viam, sed velocitatem manifestari.

Quanti hoc sit inventum clare patet; nam 1° post haec impossibilis erit occursus et incursus navium, quae calamitas inter nebulas maris frequentissima est, et maximam naufragiorum causam refert; 2° torpediniferae naves, quibus excidium classiaris lorictisque navibus paratur, impetum facere nequibunt, quominus in eas animadvertatur; 3° submarinus linter, qui ad bellica nunc fere perfectus erat, et contra quem navibus hactenus nulla erat defensio, sed mors certa manebat, fere inutilis fiet; 4° scopulus, arae, saxum, quodcumque subaqueum, in quod frangatur unda, navigis appropinquantibus mortiferum, septimo a chilo metro annunciabitur, ne qua navis incurrat.

Italus e Sicilia vir, cui nomen Marius Russo d'Asar, haec optima adinvenit, perfectique; quem bene de humano genere meritum probus quisque celebrabit.

M. L.

CRUCIS TRIUMPHI

NEFARIA antiquorum temporum facinora variis pro rei magnitudine puniebantur tormentis, quibus a scelere detererentur homines. Maximo fuisse ludibrio non sibi tantum, verum et eorum familiis, accepimus in crucem homines actos, flagitiorum ut luerent poenam. At vero divina providentia iam ab aeterno statutum est, ut quod signum olim esset ignominiosissimum, id aliquando tamen praclarum honestumque haberetur. Nam Christus moriens cruci summum intulit honorem ac pene infinitam virtutem, adeo ut regum insignia plerumque fuerint atque sint ipsa cruce nobilitata.

Quot quantaque beneficia universo terrarum orbi ex ea sint profecta, quis verbis consequi potest? Crux enim in causa fuit, ut innumera mancipiorum agmina, quae pecudum more, miserum in modum, vitam agerent, libertate donarentur; ut foeminae, quae libidinis instrumenta haberentur, in pristinam restituerentur dignitatem; ut homines suavissimo caritatis vinculo iuncti ac sociati, veluti fratres sese

mutuo diligere conferrent. Quae ab imis per eam odio amor, moderatio, irae vehementibus maximo cum effectae. Quae, est, Constantium pugnantem « In hoc signo pugnantem foverit.

Haec nobilitas redit insignis, nadas insulas, ptuagesimo pvente cruce, recte notat Al scriptor appri nulla ante ad Actium excipit viginti duobus arma Christianorum classis dicitur erat. Sociis dicitur Ioannes ab Antiochia, qui classe dexteram ostendit Barbarig Notandum Ioannes tametsi sub pugnam accesserem praefatae, quae etiam Alfridum classem in tres ducendam suscipietum faceret sum simul ac darent, vehementer gna animi cordis ardor: Turcae rabant, quibus gnanis fortum auxilio freti, in spe arma admo-

Priusquam nave crucis venis missum, Ioannes omnesque classis flexis genibus dux in bireme animos ad pug-

Dato signo petu: sinistra horas strenue Turcarum tringressus, earum insequens hostis Quare sibi mo-

pugnae exitum stianorum victum caelum tollens, spiritum.

Neque min Hispaniae regiam Aly tr fuerant: tandem bastianus Venierat Romae, a barigo duxera-

mutuo diligerent, atque vel ipsis inimicis beneficia conferrent. Quin imo civilis hominum communitas ab imis per eam instaurata est fundamentis; namque odio amor, impudicitiae verecundia, incontinentiae moderatio, irae patientia, ceteris denique effrenatis vehementibusque cupiditatibus contrariae virtutes maximo cum bonorum morum incremento sunt suffectae. Quae, crux, tua virtus! Memoriae traditum est, Constantino, cui nomen Magno, contra Mezentium pugnanti crucem in altum affulsisse his verbis: « In hoc signo vinces », atque adeo recreatum et ad pugnandum fuisse excitatum, ut brevi hostes profligaverit.

Haec nobis cogitantibus sponte sua in mentem redit insignis victoria, quam de Turcis apud Echinadas insulas, anno millesimo septingentesimo septuagesimo primo, nonis Octobribus, Christiani, favente cruce, sunt consecuti. Haec pugna navalis, recte notat Albertus Guglielmottius, rerum navalium scriptor apprime peritissimus, rei magnitudine cum nulla ante acta comparari potest, si praelium ad Actium excipias. Constat enim Turcas in ducentis viginti duobus triremibus ac sexaginta biremibus arma Christianis foedere coniunctis intulisse, quorum classis ducentarum quadraginta trium navium erat. Sociis Christianorum copias praecerat dominus Ioannes ab Austria, Philippi II Hispaniae regis frater, qui classem universam in tres divisit acies, quarum dexteram Ioanni Andreae Doria credidit, Augustino Barbarigo sinistram, mediam vero sibi reliquit. Notandum Ioannem Andream Doria suis navibus, tametsi sub Hispaniae rege stipendia faceret, ad pugnam accessisse; Augustinum vero Barbarigo triremibus praefuisse a Veneta republica missis. Itaque etiam Aly, qui supremus Turcarum dux erat, classem in tres constituit acies, quarum mediam ipse ducendam suscepit, ut maiorem in Christianos impetum faceret; reliquis vero praecepit, ut dextrorsum simul ac sinistrorsum hostium triremes circumirent, vehementerque premerent. Utrunque permagna animi contentio, atque incredibilis pugnandi ardor: Turcae se facile consecuturos victoriam sperabant, quibus iam Nicosia atque Arsinoe oppugnandis fortuna laete arrisisset; Christiani, crucis auxilio freti, in Christi hostes profligandos magna spe arma admovebant.

Priusquam praelium committeretur, in praetoria nave crucis vexillum, a Summo Pontifice Pio V missum, Ioannes ab Austria erigendum curavit, omnesque classarii milites, quibus nomen a cruce, flexis genibus preces ad Deum fuderunt; ipse vero dux in bireme universam navium invisit aciem, ut animos ad pugnam magnopere excitaret.

Dato signo, praelium vehementi initum est impetu: sinistra ac media Christianorum acie plures horas strenue dimicatum est: Augustinus Barbarigo, Turcarum triremes sinistrorsum vehementissime aggressus, earum interfecit praefectum; sed fugatos insequens hostes letale vulnus in oculo accepit. Quare sibi mortem instare sentiens, qui ei aderant pugnae exitum efflagitavit; quibus quum de Christianorum victoria certior factus esset, palmas ad caelum tollens, Epaminondae instar, extremum edidit spiritum.

Neque minori virtute milites pugnarunt, qui ab Hispaniae regis fratre ducti sunt: iam pluries praetoriam Aly trirerem aggressi, ab hostibus repulsi fuerant: tandem Marcus Antonius Columna et Sebastianus Venierius, quorum primus triremibus praecerat Romae, alter Venetiarum naves una cum Barbarigo duxerat, in praetoriam irruerunt triremem,

alique quamplurimi exemplum imitati, impetum totis viribus in hostes fecerunt, ita ut brevi, Aly interempto, in eius navi crucis vexillum daretur ventis, clamoribusque victoriae Christianorum triremes undique resonarent.

Ex classariis militibus a cruce nuncupatis, qui strenuissima virtute inter sese hoc praelio contendisse videntur, ignavia tabuit Ioannes Andreas Doria, dexterae aciei praefectus, qui simulata prudentia, ne dicam malo animo, in altum cunctando, Turcas dextrorsum irruentes declinavit. Quod minime impedivit, quominus Christiani insignem ac pene incredibilem de Turcis reportarent victoriam: ex ducentis enim octoginta duobus hostium navibus vix quadraginta quinque praecipiti fuga se e periculo eripuerunt. Reliquae pars flammis datae, pars fluctibus obrutae, pars denique in deditionem redactae; adeo ut quadraginta circiter Turcarum millia caederentur, octo vero millia in manus Christianorum venirent. Ex qua victoria summa Christianis beneficia mihi videntur fuisse profectura, nisi Hispania clam de rivalitate cum Venetiis contendisset: quare discordia in causa fuit, ut foederatae Christianorum copiae fusos Turcas vehementissime non insequerentur, eosque ad nihilum omnino redigerent. Universus tamen terrarum orbis ob Naupacti victoriam laetitia exsultavit: omnes enim, Turcarum terrore percussi, pugnae exitum permagna animi sollicitudine exspectabant. Nondum equidem memoria exciderat efferatos Turcas quindecim Christianorum millia Nicosiae ad interneccionem caesisse, atque Marco Antonio Bragadino, gubernatori Arsinoes, vivo detraxisse pellem. Quibus factum est, ut catholici principes, Pontifice Pio V auctore, arma foedere iuncta inferrent in Turcas, ut tantam pestem perniciosamque a Christianis prohiberent.

Itaque Marcus Antonius Columna, romanarum triremium praefectus, Romam rediens triumpho pompa ac plausu exceptus est; Sebastianus quoque Venierius laudibus atque honoribus Venetiis cumulatus. Quum autem victoria ea die sit relata, qua ubique terrarum christiani coetus a Rosario nuncupati preces huius pietatis testimonii proprias Virgini offerrent, iure meritoque putatur Rosarii quoque virtuti hostium cladem deberi. Quamobrem, ut Virgini in cunctis terrae oris pro insigni beneficio perennes agerentur gratiae, Romani Pontifices prima mensis Octobris dominica festum Virgini sacrum a Rosario appellatae quotannis solemniter celebrari iusserunt.

Iuvat hic paucis persequi illud pietatis in Virginem testimonium, cui nomen a rosis, quasi sit bene olentium rosarum corona caeli Reginae offerenda. Quidquid enim iucundius dictum est vel memoratu, Rosario continetur, quod ceteris omnibus precandi rationibus suavitate, virtute, excellentia praestat.

Idque plene perfecteque animadvertisse videntur non pauci viri tum genere, tum doctrina artibusve praeclarissimi: ex his, ut ceteros praetermittam, praecipue elucet perinsignes musices cultores Gluck et Mozart, quorum manibus teri quotidie Rosarium memoriae proditum est. Ecquis igitur diem praeterire patiatur ignavus, nec suavissimo Rosarii cultu Virginem prosequatur?

Ut autem ad victoriam redeam apud Echinadas insulas a Christianis reportatam, notandum puto, anno superiore, Romae in templo, cui nomen a Sancta Cruce Hierosolymae inventa, coetum quendam piorum virorum a Cruce nuncupatum fuisse institutum, qui eius cultum longe lateque propagare sibi propositum habet. Iste insuper coetus, ut immortalitati memoria praeclari triumpho mandetur, quem de

Turcis crucis virtute Christiani apud Echinadas insulas sunt consecuti, quotannis statuto die, quo Christi mors ubique terrarum celebratur, ad Sanctae Crucis memoratum templum colligitur, ibique pium agmen, praeeunte cruce, una cum populo comitante, preces fundens tardiore gradu procedit. Iuvat enim tot homines videre ad crucis virtutem hymnos tolentes, quae hostes immanitate barbaros ac multitudine pene innumerabiles ad nihilum redegit.

HERSILUS.

#### PROCELLAE BALLISTARUM ICTIBUS PROFLIGATAE

RISERUNT equidem plures cum primis ex diariis insolitum hoc mirumque nuncium accepissent, Albertum Stiger, Windisch Feistritz oppidi in Austria syndicum, uti dicunt, vineas suas, quas grando quotannis vastabat vindemiabatque, explosis contra nubes ballistarum tormentis, sibi tuendas putasse. At cum paulo post, laeto superveniente autumno, intactos Alberti racemos iidem diarii nunciavissent, vindemiamque syndici copiosam et dulcissimam, haesit statim incredulis labiis risus. Tunc de causa grandinis deque modis quibus missilia eius rigeant in caelis, novae et veteres opiniones sunt iterum in lucem prolatae, atque acerrima a sapientibus undique viris inita disceptatio est. Bombiccus, Volta, Trabest, Faraday ceterique illustrissimi viri, qui hac de re disseruerant, iterum sunt e bibliothecarum silentio evocati, eorumque varia responsa ad trutinam ponderata, ut tandem innotesceret, utrum syndici nova fortuna scientiae legibus, an sortis placito esset adscribenda.

Frustra vero; etsi enim, cum futuris eventibus cavendum fuisset, optimus erat huiusmodi disceptationibus locus, cum de gestis a syndico loquendum contra esset, ex veterum moribus erat eorum origo repetenda.

Et profecto, licet silentio praetereamus quanta sacris aeribus pulsantibus abigendi tempestates tributa sit a maioribus virtus, ita ut in multis scalperetur illud: « Vivos voco, mortuos plango, fulgura frango », Vergoraz, Dalmaticae urbis, cives antiquitus receptum morem habuerunt nimborum minas ignivomis ballistis profligare. Haec vero passim a multis saeculis iam servabantur ab Umbris, a Tuscis, a Sardis: imo exstat adhuc Iosephi II, Austriae Caesaris, decretum, quo subditi eius, qui Styriam, Carinthiam, Carniolam vel Tyrolum incolerent, expresse prohibebantur, ne contra nubes ballistas exploderent. Quod tamen nulla alia ratione cautum est, nisi iniusto quodam timore, ne tempestates ex una regione depulsae iram suam in proximorum fines converterent; quapropter aequum videbatur praecipere, ut quod cuique fortuna parasset, demisso animo potius reciperetur.

Benvenuto Cellinius, in sui Vita quam ipse scripsit, gloriose nobis enarrat, novas Margaritae Farnesiae nuptias, quas perturbatura atra procella minabatur, explosis a se e mole Adrianae tormentis, anno 1538, inter magnam plebis laetitiam ad vesperum usque esse perductas. Eodem fere tempore Ioannes Baptista Trissinus tradidit, Leonardum quemdam a Porto eruditissimum virum, ut vineae circa Vicentiam servarentur a grandine immunes, lepide proposuisse, tormenta aenea ad rem confecta in summis montibus, quo solent plerumque nubium agmina convenire, constitui, quibus opportuno tempore explosis, grandinum minae facile dissiparentur.

Neque satis; nam Berlandi Venetum chronicon die 5<sup>a</sup> mensis Augusti anni 1657 haec adamussim

describit: «... Ex oriente ecce nubes candidissima, at immanis magnitudinis repente exoritur prope templum S. Georgii de Alga. Haec, aquam in caelum pyramidis ad instar proiciens, Venetias paulatim petere visa est. Caelum e sereno terribiliter statim factum, tonitribus insonare vehementer coepit et indesinenti pluvia velari; quae cum inopinato defecisset, terribili luce statim exarsit, veluti si latissimo incendio flagraret. Tunc strepitus ululatusque tremendus auditus est, quasi ex Cyclopium antro deductus, simulque candens illa nubes urbis domus obruit et convolvit: monasterio S. Mariae Maioris ex fundamentis ad dimidium ferme concusso et diruto, Canalem maximum ingressa est, domos disiecit, campanarias turres confregit aeraque divulsit, statuas e tecto basilicae S. Marci plurimas evertit; quocumque attigit igne complere locos apparuit. Itaque tecta plumbea pontis ad *Rialto*, navalis armamentarii lacunaria vastavit, caminos innumeros, cratesque ex fenestris avulsit, naviculas demersit vel onerarias naves in aerem proiecit. Tandem ad canalem, cui vulgo nomen *dei Marani*, cum pervenisset, ubi naves plurimae a pestis suspicione expurgabantur, ex istis omnibus ballistae in nubem conversae sunt simulque eruperunt, quarum ictibus multis ex partibus dilaceratus nimbus tandem evanuit». Contigerunt haec anno 1410, die mensis Augusti quarta.

Quae selecta inter multa brevi recolare non inopportuna putavi, dum de dissolvenda ballistarum ictibus grandine tanta hodie scribuntur, et prospere ausu plurimis in locis iam fiunt, ne vetustissimo reperto remedio nimis animo efferamur, illiusque verbi opportune recordemur: «Nil sub sole novum».

A. COSTAGGINI.

## ANNALES

Gallicae res - Bellogradi quaestiones de maiestate - Thessalicae et Aegaei perturbationes - Regalia itinera - Transvaalana - Peregrinationes ad Urbem - Futuri Anni Sancti monumenta - Alpinum Deiparae simulacrum.

**A**BSOLUTO tandem Dreyfusiano iudicio, opportunum visum est reipublicae praesidi, ut quaevis instaurandae perturbationis ratio tolleretur, solvendae poenae gratiam damnato duci elargiri, quod factum est die elapsi mensis Septembris vigesima.

Eadem die Guérin, qui sese in domo quadam Lutetiis receperat, in deditionem venit. Eum, vix in carcerem detrusum, Bérenger senator accessit, ut ipsum de maiestatis crimine interrogaret. Namque tum de eo, tum de ceteris, qui inter oratores populi criminis huiusmodi socii dicuntur, apud senatorium tribunal quaestio agitur: imo secreta documenta, quotquot colligere hac de re licuit, silentii arctissima lege a delectis patribus examinantur.

Bellogradi similis causa pertractata est, qui in regem homicidium tentavit capitis damnatus. Aiebant interim secreta regicidii consilia non tam ex odio in Milanum regem exorta, quam ex machinationibus factionis cuiusdam Nicolao Montis Nigri principi faventis, et quasi Bulgariae regnum ipsi tradere studentis; quae tamen inanis omnino vox evasit.

Sed ex proxima Thessalia, Turcarum imperii provincia, innovatae, ut quotannis ferme solet, Graecorum perturbationes nunciantur, quorum soluta

agmina, uti videtur, ex montibus atque ex Graeciae finibus in Thessaliam egressa, Turcarum manipulos adoriantur, velutum more leves committunt pugnas, oppida, campos depopulantur. Protestationes a Turcarum administris Graeco gubernio oblatas, irritas evasisse plerumque notum est; immo similes Christianorum commotiones seditionesque exardescere passim per omnes Aegaei maris insulas, quas Turcae adhuc tenent, innotuit. Interea Graecorum regina, e regali Danorum familia, ad Cretam insulam russo navigio advecta est, ut praefectum inibi Georgium filium, a quo diu aberat, reviseret.

Russorum Caesar eiusque imperialis uxor Kiel ad Germanicum portum proxime appellent, quo simul data opera, Wilhelmum etiam Germanorum imperatorem perventurum praenunciant. Imperatorio colloquio, ut fama est, Mouraviev ipse russarum rerum ad externos summus minister, aderit, ita ut futuris Europae conditionibus magni momenti fore eiusmodi conventus putetur.

Africanae quietis postremi hi dies videntur, bellicae flammis iam iam credimus temporis puncto posse excitari. Dum enim hinc et inde Boeri et Angli copias augent, tormenta disponunt, castra muniunt, postrema Boerorum ad Anglicos administratos haec fuit responsio: se tum de anglica lingua in publicis muneribus adhibenda, tum de dimittendis legionibus vel castrorum munimentis diruendis, tum de tutoria Anglorum potestate iterum profitenda nihil agere velle; quae si constanti protervia ab Anglis expectantur, ad arma venire fatale erit.

Peregrinantes ex Gallia opifices et sacerdotes, duce Leone Harmel, Urbem nuper tenuerunt; quorum adventus futurarum Anni Sancti peregrinationum quasi auspiciam habendus est. Multa quidem apud nos agitantur, ut eius anni memoria sublimi monumento posteris tradatur, quae inter praecipuum consilium est cruces altissimas vel alia huiusmodi sacra signa in culmine montium per Ausoniam constituere. Delecti vero potissime viginti montes sunt, qui quasi saeculorum christiani aevi omnium ab ortu Christi symbolum, excelso ausu, fiant.

Quamquam aliquid iam pari molimine peractum exacto mense Augusto lectoribus nostris innotuit: inter Alpes enim, in monte prope Segusiam, pyramidis ad instar elato, quem *Rocciamelone* dicunt, Deiparae aeneum simulacrum, cuius 800 kilogr. est pondus, adstantibus episcoporum legatis atque Segusiae municipibus, inauguratum est.

Statuam, in octo partes divisam, milites alpini ad cacumen usque elevaverunt. Impensarum summam ubique Italiae pueri, lusorio collato peculio, solverunt. Opus regis et reginae patrocinio est expletum, cuius effigies memori numismate cusae inter fundamenta recondita sunt. Inscriptio vero ad Deiparae pedes apposta, a SS. Domino Nostro Leone XIII mira sensus et eloquii venustate redacta, haec est:

ALMA DEI MATER  
NIVE CANDIDIOR  
MARIA  
LUMINE BENIGNO SEGUSIAM RESPICE TUAM  
AUSONIAE TUERE FINES  
CAELESTIS PATRONA.

POPPLICOLA.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

**I**N Austria Fuchs doctor, Austriae comitiorum praeses, oratores populi omnes ex gubernantium mandato ad conventum extraordinarium invitavit, ut exardescentes tot discordiae inter varios atque dissitos imperii populos possint compositione quadam sedari. Verum Germanicos praecipue oratores acriter propositis obstare dicunt, atque vanum indicti conventus exitum tuto vaticinio praenunciant.

In Belgica oratorum popularium aula, reformandae eorum electionis prolata rogatio, coepit tandem agitari, quamvis socialistis, uti aiunt, *obstruentibus*, res lentissimo pede progrediatur.

In Gallia, licet Méline fautores comitiorum convocationem ante tempus iterum iterumque petierint, Waldeck-Rousseau constanter eam denegavit, statuitque, ut coram novis comitiis iisdem gubernii sociis comitatus compareat.

In Mexicana republica die mensis Sept. decimaseptima nova comitia primum convenerunt. Limantour, aerarii summus minister, optimas publici aeris condiciones esse adfirmavit.

SCRIBA.

## AENIGMATA

I. (Vulgo *Rebus*).

A E S D cant I

II.

*Pars prior* est caput, et servat *pars altera* gentes,  
Qua spreta, in populis omnia iure labant:  
*Tertia* vero agitur stilo perarata Terenti:  
*Totum*, urbs cui nomen conditor ipse dedit.

A. BARTOLI.

Ex sociis qui horum aenigmatum interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

BIBLIA SACRA

VULGATAE EDITIONIS

Xysti V P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita.  
(A. Fabre renovavit Desclée, Lefebvre et Soc.).

Aenigmata ann. II, n. XV proposita his respondent:

1. Re-do. 2. A-bel.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; A. de Aguiar, Roma - Guil. Schenz, Ratisbona in Bavaria - Ad. Artioli, Ferrara - Principal Gordon, Mancunia - Joan. Sedlák, Praga Bohemorum - Ios. Capovin, Montebello Vicentino - Ios. Sola, Montereale in Siculis - Hidolph. Guepin, S. Dominico de Silos ad Burgos - E. R. Massey, Bickster in Anglia - M. Kheberich, ex Hungaria - P. Rioux, Hochelaga in Canada - E. Frachetti, Mengalore in Indis - D. Falconbridge, Toronto - Alois. Cappelli, Senis - A. Peserico, Vicentia - Felix a I. C., Latané-Tonneins in Gallia - Ios. Rokoszy, Sandomiria in Polonia.

Sortitus est praemium:

E. FRACHETTI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

SOUS LE CIEL D'ORIENT  
IMPRESSIONS ET SOUVENIRS  
par F. QUEYSTAN.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

comitiorum prae-  
bernantium mandato  
vit, ut exardescens  
itos imperii populos  
Verum Germanicos  
obstare dicunt, atque  
tuto vaticinio prae-

in aula, reformandae  
cepit tandem agitari,  
atque, res lentissimo

comitiorum convo-  
que petierint, Wal-  
gavit, statuitque, ut  
sociis comitatus

ensis Sept. decimase-  
enerunt. Limantour,  
publici aeris condi-

SCRIBA.

cant I

rs altera gentes,  
are labant:

Terenti:

ipse dedit.

A. BARTOLI.

um interpretatio-  
n miserint intra  
s accipiet opus,

VIII auctoritate edita.  
re et Soc.).

his respondent:

el.

I. Schenz, Ratisbona  
pal Gordon, Mancu-  
Capovin, Montebello  
- Hidelph. Guepin,  
Massey, Bickster in  
rious, Hochelaga in  
D. Falconbridge, To-  
nico, Vicentia - Felix  
okoszny, Sandomiria

i, iurisperitus.

## PER ORBEM

Viatori mihi tristissimo, nec laeta plerumque  
ominanti, nonnullas inter commentarii lectores  
serpere querelas relatum est, eo quod nihil nisi  
infaustos atque dolentes eventus ex quindenariis  
itineribus referam, quae cuiusvis animos, qui ad  
commentarium manus admoveant, profundiori  
moestitia obruant. At, nescio plane quae, vel  
quanta mea culpa sit, cum tot malis et infortu-  
niis homines quotidie plectantur, vel cum longe  
frequentiores infelices quam felices casus soleant  
humanae proli contingere, vel cum malorum  
et infortuniorum fama latius quam faustarum  
rerum per orbem diffundatur.

Quare, usquedum hominum non immuten-  
tur sortes, immutari protinus earum nuncii non  
valent, neque eos plerumque nisi dolentes re-  
ferre ephemerides et commentarii coguntur.

Hodierna itaque aquarum numini prima  
tribuenda sunt, tum quia eas nimis sordide, tum  
quia liberaliter nimis effuderit. Nili enim patris  
altrices Africae undas insolita a pluribus annis  
tenuitate excrescere audivimus, ita ut ex *nilo-  
metro*, in Roudah insula constituto, a decimo  
adhuc altitudinis signo multum distent. Necesse  
est inde, ut magis dominantes fundi nulla aquae  
benigna vena reficiantur, et foecundo destituti  
eorum limo, steriles in venturam usque eluvio-  
nem remaneant.

Contra vero per Austriae regiones intume-  
scentia atque invadentia passim flumina  
conspiciuntur. Iamque Salisburgensis urbs un-  
dique aquis circumvallata eiusque vicinia inun-  
data passim sunt, neque licuit nisi navicula urbis  
moenia appetere. Prope vero Payerback urbem  
Schwarza flumen pontem diruit, transeuntes ino-  
pinato demergens. In Bavaria pariter ad Muche-  
dorf ferreus alter pons aquarum rabie deletus  
est, vehesque ferreos in ruinam secum diripuit.  
At cetera etiam praecipua Germaniae flumina  
Ischl, Eibersee, Gmunden, Bavariam, et Boe-  
miam et ceteras provincias pari furore perva-  
starunt.

Frigida itaque, ut ita dicam, Germaniae in-  
fortunata, at Gallorum contra aestuantia  
quam maxime; nam silvae undique immanes,  
quae Massiliam ac Forum Iulii attingunt, vel  
quae nordicas Galliae regiones late cooperiunt,  
exardescere huc illuc atque absumi misere spe-  
ctantur. Telegraphicae lineae igitur interruptae  
sunt; at potuerunt tandem militum opera voraci-  
bus flammis limina statui, ut pleraeque saltem  
splendidae silvae et oppida inter eas constituta  
immunia servarentur. Ignis enim in oppido quo-  
dam Gombert iam quindecim domus diruerat.

Lutetis vero in templo illo Sancti Iosephi,  
quod nuperrime barbaricae turmae profanarunt,  
aliud terribile exarsit incendium, quamvis prom-  
pto remedio fuerit exstinctum. Nec satis; nam  
tempestas vehementissima repente inflata, proxi-  
mae artum recognitionis incoepas aedes gra-  
viter laesit. America vero graviora patitur; nam  
quae in Bermudes insulas atra procella grassata  
est, ad millies centena millia pretii agris et op-  
pidis detrimenta intulit.

Vaporitraharam letalis occursus prope  
Ianuam funestissimus fuit; mortui enim et vul-

nerati quamplures ex horrida quassatione sunt.  
Similia interdum ex Mediolani finibus et Nea-  
poli atque ex Aegypto referuntur; hic ferreo tra-  
miti contigit, qui per Wadi-Halfa et Asbard  
arabica oppida sternitur.

Explosionum una tantum praecipua reco-  
litur, quam loricata germanica navis *Wocht* sen-  
sit, prosiliente statim aquae candentis cortina,  
unde mortui quatuor totidemque vulnerati clas-  
sarii sunt.

De pestifera lue mitiora, in Europa quidem,  
nuntiantur; nam et ipsa Ulissyponensi in urbe  
perraro et vix semel vel bis in die homines  
morbo correptos dinumerant. Immo plures lym-  
pha illa, quam ex claro illo viro, qui eam in-  
venit, *Pastour* vocant, convalescere potuerunt.

Cuius quidem lymphae haud dissimiles esse  
virtutes puto alterius mirabilis ab italo nostro  
Sanarelli, medicae artis viro peritissimo, repertae  
atque confectae, qua sive in Habanensi civitate  
sive in ceteris Cubae insulae urbibus licuit tan-  
dem flavae febris contagia primum repellere.

Haec saltem una querulis lectoribus grata  
fient, quibus ideo onus pro nostra parte relin-  
quimus inferis manibus sacra litandi, ut faustio-  
res mundi eventus mihi iter facienti aliquando  
innotescant.

VIATOR.

## VARIA

## Oculorum lumen acerrimum.

Si americanis diariis fides est adhibenda,  
Sout-Broutree in urbe (Massachusetts) adole-  
scens quidam vivit singulari pretiosaque virtute  
praeditus. Non enim aliter ac radii illi X a Roent-  
gen reperti, eius oculis tanta inest acies, ut, nulla  
externa suppeditante ratione, in medias res den-  
sas obiecta peculiariter discernat, atque medici  
eius lumine utantur, quoties morbum internum  
eis dignoscere opus sit. Namque adolescens fa-  
cile locum cuiusque abruptionis in corpore de-  
finit, ac si quid externi huc fuerit immissum,  
absolute describit.

Haec autem re probata sunt. Narrant enim  
ipsum nuper inspiciendo tantum pectus cuius-  
dam pueri aliquot iam mensibus laborantis  
morbo, cuius causa lateret, affirmasse in aegro-  
tantis stomacho nummum oxydo circumsaepum  
adesse; negasse puerum se absorbuisse, non am-  
plius vero a morbo assurrexisse; stomachi de-  
nique resectionem in mortuo illius affirmationem  
ratam fecisse.

Si fuerit in Gallia lynceus ille!..

## Belluarum progenies evanescentes.

Sunt in Anglia belluarum nonnullae proge-  
nies quae ad finem perductae sunt, vel prope-  
rant. Has recognovit Wallon, vir multae doctri-  
nae, qui in commentario quodam, cuius titulum  
perdidit, quadraginta et septem belluarum semina  
perempta enumeravit, quae in aliis mundi re-  
gionibus vivunt florentque adhuc. Haec inter  
ursus, fiber, lupus recensenda sunt: ursus niger  
primus exstinctus est, fiber deinde, ad ultimum  
lupus, quorum postremus in Caledonia an. 1743  
fuit occisus. Idem Wallon et murem commu-  
nem periisse ibidem testatur.

In Caledonia igitur nulla posthac mur-  
cipula.

## Quanam hora homines maxime moriantur.

Quanam hora homines vita maxime dece-  
dant a collega scotico medicus quidam anglus  
quaesivit. Hic ad tredecim millium numerum  
mortis Glasgow in urbe testimonia collegit, atque  
mira patientia aliud post aliud trutina pensavit.  
Id autem extremum fuit, ut plerique ab homi-  
nibus demigrarent quartam inter ac decimam  
horam ante meridiem.

Quae cum rescivisset medicus alius beroli-  
nensis, veri comperendi cupidus, de sexaginta  
millibus indiciorum experimentum egit, habuit-  
que compertum et in Germania rem ita se ha-  
bere quemadmodum in Caledonia.

Barducciis, collectanea haec audiens: «Heu  
mihi misero», clamavit, «cui fors non dum coe-  
nato moriendum erit!»

FORFEX.

## Mira arbor.

Quidam ex America Croesus, quum Londini  
solemnem coenam faceret, de arboribus non-  
nullis, quae in regionibus Californiae virent, mira  
narrabat. Quae cum incredibilia viderentur: «Fa-  
ciam», inquit ille, «ut vos vel inviti credatis!»  
Nec mora. Telegrapho satagente praecipit. Quarto  
elapso mense, germanica navis *Maria Hackfield*  
tabulam in portum deduxit, cui diametrum quin-  
decim ex metris constabat, circuitus metris qua-  
draginta et septem, querna sectam ex arbore,  
quam circum conviviae septem et sexaginta com-  
modius coenaturi sederent.

Crediderunt inviti, sponte tamen coenarunt.

## Iudaei prae Christianis longaevi.

Ex illo sive annuo, sive quinquenniali censu,  
quibus disciplina illa viget, quae nunc *statistica*  
nuncupatur, nuper in Anglia confectis, elucet inter  
centum christianos homines anglos quinquaginta  
mortuos, immo demortuos antequam duode-  
quingagesimum annum attigerint. Inter centum  
Hebraeos quinquaginta septuagesimum primum  
aetatis annum videbunt.

Abstinentiae a suillis carnibus longaevitatis  
huius causam nonnulli tribuunt.

## Ioci.

De morte vini.

Quidam vir probus et prudens domesticum  
suum, sibi carissimum, quia aureus indole, et  
fide perspectus, benevole monebat, ne vino indul-  
geret, et quae turpia, quae ferocia ebrui possint  
postquam longa oratione enumeravit, exemplum  
de se ostendit, ut sentiret in vinum domesti-  
cus, quae et herus ipse sentiebat. «Ego», dice-  
bat, «vinum reputavi quasi flagellum quoddam  
humani generis, qua de re optime in eum con-  
stitutus est locus, nempe cavea, in qua veluti  
carcere, circulis constrictus ferreis, teneatur». «Neque abs te iudico», domesticus inquit; «et si  
tu inimicum, ego pessimum animal reputo, potis-  
simuni si e profundo suo carcere ad superiora  
tabulata nostra audeat ascendere. Felina in mures  
lege utor; aggredior ac voro, extermino, destruo.  
Siquod in me vinum incidit, non vivet ultra;  
peribit; ne timeas, here, ne timeas; lata sen-  
tentia est».

P. d. V.

# T. G. FRATRUM PARISI Candelarum ad Sacra Opificium praemiis insigne

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



\* ROMAE in ITALIA \*

In Foro Campi Martii, 6



Singulis in artium recognitionibus publice habitis  
maxima relata munera

Leo PP. XIII honores addidit

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae,  
quoties de Beatificatione aut de Canonizatione  
solemne sit, suppeditat.



Praecipua Templa cereis instruit ubique terrarum.  
In Asiam, Africam et urbem Constantinopolim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera,  
pretio *francs* 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur onera (300 Chilogramm. *ad minimum*), pretium erit  
*francs* 250 pro 100 Chilogramm.



Nullo impendio iubentium res in proximiorum a petentibus designatum portum defertur.

*Gratis pariter, quae mittuntur, arca asservantur.*

Cuivis quaerenti explicatio erit uberior.



## FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administrationem.*

### URBIS E IANIGULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 x 0.24)

qui ad socios commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

*apud comm. VOX URBIS Administrationem.*

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

## LE LAUDI LATINE E IL CANTICO DEL SOLE DI SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro  
rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latinae* cum inter-  
pretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,  
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem  
proxime alii subsequenter ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-  
randam, *Iulius Salvadori*, litteris tradendis doctor egregius, maxima  
edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit  
L. 0.50, in pauperum levamen.

\* Typis DESCLÉE, LEFEBVRE & S.  
nuperrime prodierunt \*

## Analecta Romana

DISSERTAZIONI, TESTI, MONUMENTI D'ARTE  
RIGUARDANTI PRINCIPALMENTE LA

Storia di Roma e dei Papi nel Medio Evo

Scrisit H. GRISAR S. I.

Vol. unicum, in-8 magno, Lib. 15.

## PHILIPPUS VITI EQUES MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, N. 51 e 52 - ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT  
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac reffectis  
in Basilica Lateranensi,  
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.

## VOX URBIS DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, 87.

### MONITUM

*Eorum omnium, qui in posterum inter commentarii socios  
recenseri volent, subnotatio fieri potest a kalendis Iuliis.*